

nostre civitatis sigillum duximus presentibus apponendum. Datum anno domini M^oCCC^oXXXVI^o, proxima feria tertia post palmarum.

a) anui (A) b) (A) c) iungerit (A)

89. *Bürgermeister und Rat zu Zwickau beurkunden, dass Johann Kramer, Vorsteher der Marienkirche, an Kunigunde, Witwe des Bertold von Crimmitschau, eine Leibrente zur Wiederherstellung der durch Brand beschädigten Marienkirche verkauft hat.*

1336 Mai 7, Zwickau

Original nicht zu ermitteln. — Abschrift: Stadtarchiv Zwickau, IIIx^l 141b (Zwickauer Rechtsbuch), fol. 9r^(Sp. 1)–9v^(Sp. 1) (14. Jh.) (B). — Edition: Herzog, Chronik II, S. 878 f., Nr. 14 (mit falschem Datum 1330 Mai 2). — Zur Sache: Herzog, Chronik II, S. 59 f.; Hildebrand, Hauptkirche St. Mariä zu Zwickau, S. 22; Mothes, Baugeschichte der St. Marienkirche, S. 28.

Quoniam ea, que gerunt homines in fuga, rapit oblivio, nisi vigeant voce testium vel testimonio litterarum. Hinc est, quod nos Conradus dictus Dreuzcherf magister consulum aliique consules in Zwickouwe infra scripti presentibus publice protestamur Johannem^{a)} institorem nostrum concivem, procuratorem ecclesie parrochialis^{b)} beate virginis Marie site in nostra civitate, propter reedificacionem eiusdem ecclesie lamentabiliter exuste unam marcam annui census cum omnibus iuribus et utilitatibus, quibus jam dicta ecclesia eandem^{c)} marcam habuit et tenuit, cum consensu et maturo nostro consilio pro sex sexagenis grossorum Pragensium persolutis racionabiliter vendidisse honeste domine dicte Kunegunt relicte Bertoldi de Crimazcauwe ad vite sue tempora absque omni onere exactionum et angariarum quarumlibet propter gratiam circa^{d)} preexpressam ecclesiam habitam quiete et libere possidendam. Ipsaque vero cum cursum presentis vite deo ordinante consumaverit, prefatus census ad ecclesiam sepe dictam cum iure pristino revertetur. Daturum autem census supra dictus, videlicet de orto Nycolai dicti Ackirman sito prope villam Osterweyn unus ferto, in festo Martini aliique tres fertones videlicet unus per Albertum filium Longe Pistricis de scampno quodam, in quo venditur panis, tercius ferto de curia Gerlaci fabri sita in platea iudeorum et quartus ferto de orto Conradi Ianitoris sito ante valvam sancte Marie, duobus temporibus, videlicet in festo Walpurgis et in festo Michahelis, finaliter debent dari. Ne igitur, quod propter necessitatem, que legem non habet, factum est, ab aliquo successorum nostrorum in posterum revocetur, scriptum nostrum de hac vendicione nostra factum prefate domine dicte Kunegunt dedimus in testimonium evidens et id sigilli nostrae civitatis appensione fecimus communiri. Testes huius rei sunt Nycolaus dictus von dem Anger, Ulricus Textor, Theodricus Prosse, Theodricus Lenberg, Cunradus, Hermannus Pariscorn, Nycolaus mit der muter, Johannes Picariator, Waltherus Pylgerim, Hermannus Stolle, Theodricus Wagisleben, consules in Zwickouwe, et quam plures alii fide digni. Datum Zwickouwe anno domini M^oCCC^oXXX^oVI^o, nonas maii.

a) so (B) b) prorochialem (B) c) eandam (B) d) crica (B)